AUGUSTINUS. PS. AUGUSTINUS. AMBROSIUS AUTPERTUS
Mitte 12. Jh.
Seite 23r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36545
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

cum qui assentiuntur falsis. A. Plane consentiendum. R. Quid ipsum
falsum, quare falsum est? A. Quod aliter sese habet quam videtur.
R. Si igitur non sint quibus videatur, nichil est falsum. A. Sequitur.
R. Non igitur in rebus falsitas, sed in sensu. Non autem fallitur qui falsis
non assentitur. Conficitur ut aliud simus nos, aliud
sensus: siquidem cum ipse fallitur, possumus non falli.
A. Nichil habeo quod contradicam. R. Sed numquid cum anima
fallitur, audes te dicere non esse falsum? A. Quo pacto
istuc audeo? Nullus sensus sine anima, nulla
falsitas sine sensu. Aut operatur igitur anima aut cooperatur
falsitati est. R. Trahunt precedentia consensionem.
Illud nunc responde, utrum tibi videatur posse fieri
ut aliquando falsitas non sit. A. Quomodo mihi hoc videri
potest, cum tanta sit difficultas inveniende ve-
ritatis, ut absurdius dicatur falsitatem quam veri-
tatem esse non posse. R. Numquid non arbitraris eum qui non vivit
posse sentire? A. Non potest fieri. R. Confectum est animam
semper vivere. A. Nimis cito urges me in gaudia.
Pedetemptim quaeso. R. Atqui si recte illa concessa sunt, nichil
de hac re dubitandum video. A. Nimis cito est
inquam. Itaque facilius adducor ut me temere